

A DE CHAMÆLEONTE.



Nuitat rei similitudo, priusquam reliqua Polypi significata recēseamus, loco hoc de Chamæleonte, deq; Taranda dicere, quorum alter colores corporis uti Polypus, pro corporis cui adhaeserit, ratione, mutat: alter vicinarum rerum colores nullo tactu, sed sola tantum attrahit exhalatione.

V E R S I P E L L I S.

B **P**er Chamæleonta versipellem hominem significari volunt: sed quod nunquam polypo virtuti datur, in Chamæleonte vitiosum semper autumat, quod mutationem huiusmodi non nisi in timore faciat: quanquam in eo & diuerso vitæ tempore colores mutari tradit Aristoteles. Sanè Chamæleon paucas in corde tantum sanguinis habet guttas: quæque sanguine sunt exiguo animalia, omnia frigidiora sunt: quæ frigida, identidem & timida. Vt cunque verò accipiatur Chamæleontis natura, siue id ingenita vigoris debilitate faciat, siue quod corpus, uti apud Leonem x. p. m. Romæ vidimus, vitreum propemodum atque translucidum habeat, vno omnium consensu versipellis, puta Vlysses quispiam, aut Lyfander, aut Alcibiades, per Chamæleontem figurari potest. Hunc, ut Tertullianus ait, pellicula ambit, corpori nullus inest succus, pectus vix à terra suspendit, gradum magis demonstrat, quam explicat, ieiunus semper & indefectus, oscitans vescitur, follicans ruminat, de vêtio cibus. Hoc soli Chamæleonti datum, quod vulgò dictum est, de corio suo ludere. Quod verò apud Plinium legitur de portentosa eius magnitudine, quæ par sit crocodilo, viderint alij: nam quem nos apud Leonem x. vidimus, vix palmum excedebat.

DE TARANDA.



C **S**edenim si Taranda innotuisset Ægyptijs, inde potius quam ex Polypo aut chamæleonte versutiae huiusmodi significatum desumpsissent. Fera ea est apud Sarmatas inuētura rara, captuq; difficilis, de qua Aristoteles philosophus eo libello, quem de admiranda historia conscripsit, hæc memorie prodidit, ut ex Nicolao Leonico, dum is Patauij Aristotelem ipsum nobis ea qua scripsit lingua interpretaretur, audiui: illam quippe apud Gelonos Scythiæ populos reperiri, bouis magnitudine, capite ceruino, admirandæ admodum & singularis naturæ, siquidem ad omnem locorum & fructuum apparentias, setarum colores, quibus totum corpus hirtum conuestitumque habet, illico permutare. Quod si super hoc philosophari liceat animali nodum nobis viso, dixerim ego, quemadmodum in polypo το δίαφανον, quo corpus eius translucidum est, & in chamæleonte etiã transmeabile dicebamus, ita setas Tarandæ pari modo perspicuas esse, ut facile coloris cuiuslibet aura in eas transiliat, diffuentesque ad se ita colores repræsentet.

MENTIS ATTONITAE CONSTERNATIO.

Hominem ad hæc, ut ad polypum reuertamur subito aliquo pauore ira consternatum attonitumq; ut neq; periculum neq; damnum quod urgeat sentire videatur, per polypum significare mos erat: siquidem is ita meticulousus est, quod Athenæus attestatur, ut vel strepitu audito, vel piscatore viso, minimè cedat, aut fuga sibi consulat, ut reliqui faciunt pisces, sed aut saxis que in promptu fuerint sese applicat, aut captantis manum apprehendit, cruribusve se alligat: neque alia ferè est eorum captura.